

DISPUTATIO III.

DE PRINCIPIIS ADJUVANTIBUS.

CAPUT I.

DE SANCTIS PATRIBUS.

Quaquam pro more, etiam aliis solemnibus, Patribus inter Principia directiva concedere locum potuissemus, maluimus tamen illos ad adjuvantium ordinem reducere, augendae potius quam minuendae dignitatis ergo; ut ostenderemus scilicet, ab iisdem, Principiorum huiusmodi rationem omnem totamque nominis mensuram impleri, dum veritates revelatas et custodiendi et illustrandi et firmandi character illis proprius esse doceretur. Eam in rem Patrum notionem, auctoritatem et usum breviter proponemus, adjuncto eorumdem et Scriptorum Ecclesiasticorum sub finem catalogo.

ARTICULUS I.

Quisnam sit sanctorum Patrum Character?

207. *Nota.* Patrum nomine latius accepto vocamus Ecclesiae Praelatos, aliosve de Clero viros, qui vocibus ac scriptis Ecclesiae fundandae aut amplificandae operam magis sedulam tribuerunt: qua sub significatione Patres Ecclesiae non tantum dici possunt Apostoli; sed et qui juxta S. Aug. pro Patribus nati sunt filii, id est, pro Apostolis Episcopi: quin etiam omnes viri Ecclesiastici, qui verbo ac litteris de populo Christiano fuerunt bene meriti. Quoniam vero priores illi clarioribus titulis aliis condecorantur; alteri hoc nomen officio quidem, non re tamen necessario sustinent; postremi autem plures forent, quam indicata a Paulo (1. Cor. 4. v. 15). Patrum paucitas permittat: ex communi probatoque Ecclesiae usu nomen Patris usurpabimus strictius eaque notione, ut et a scriptore Ecclesiastico et ab Ecclesiae Doctore Patrem discernamus.

208. *Dico I.* ECCLESIAE PATRES sunt viri Ecclesiastici, proxime descripti, qui doctrina eminent, sanctitate florent, antiquitate vigent, et expressa vel facita Ecclesiae designatione gaudent. *Exponitur.* Etenim 1^{um} quidem declarat comparatio cum Patre naturali, quem generatio prima proles vel aucta deno-

minat : 2^{um} Apostoli exemplum illustrat, qui filios in Christo Jesu per Evangelium a se genitos enuntiat : 3^{um} educationis ratio ostendit, quæ non verbo solo sed vitæ etiã exemplo perficitur : 4^{um} naturalis ordo exigit, qui prioritatem in generante et perfectionem potentiæ, certos ætatis annos præcurrentem, supponit : 5^{um} Doctorum et Sanctorum paritas confirmat, quorum titulos usurpare fas non est, nisi accedente suffragio, illic Academiæ promotis, et hic Ecclesiæ canonizantis.

Confirmatur. Quinque his dotibus imprimis constituitur genuina Patris Ecclesiæ notio, sive jus examines; ut ex data modo expositione liquet : sive factum spectes; cum Patrum quilibet, tum a Conc. Romano sub Gelasio in Decreto de Libris, tum ab OEcumenico VIII. in Collat. 8. declaratorum, dotibus hujusmodi omnibus et singulis polleat. Deinde, sicut per duas priores cum Scriptoribus Ecclesiasticis et Ecclesiæ Doctoribus notio Patris convenit; sic ope posteriorum trium ab iisdem discernitur. Ob sanctitatis enim inopiam, inter Scriptores Ecclesiasticos sane egregii Tertullianus, Origenes et Eusebius Cæsarensis; ob antiquitatis defectum, inter Ecclesiæ Doctores adscripti S. Bonaventura et D. Thomas; ob Ecclesiæ silentium, plures Doctores et Scriptores tum sancti tum antiqui non honorantur Patris axiomate.

209. *Dico II.* PATRUM DOCTRINA ad quatuor præcipue capita reducitur. 1. Ad sacrarum litterarum interpretationem. Sicut enim Ecclesiæ divinitus dati sunt ad genuinum Scripturarum sensum fidelibus communicandum; sic idem amplissime præstiterunt, circa mysticam quidem intelligentiam frequentius, circa litteralem vero frequenter minus, et ex oblata maxime occasione, vel dogmatis contra hæreticos defendendi, vel spiritus in littera fundandi : quo facto nihilominus evenit, ut, si omnes simul Patres considerentur, eximium Scripturæ universæ commentarium, non mysticum tantum, sed et litteralem obtinuerimus.

2. Ad fidei dogmatum custodiam et propositionem. Horum autem et sanæ doctrinæ depositum dum tenebant, erant simul fideles ac prudentes dispensatores. Unde apud Gentiles mysteria Religionis proponebant terminis ex eorum Philosophia petitis; apud Judæos, seculari eruditione neglecta, utebantur prophetiis et sacrarum litterarum testimoniis, apud Catechumenos arcana fidei pandebant parcius, ne forte, ad vomitum reversi, profanarent margaritas sacras; apud fideles dogmata pleraque exponebant diligenter; prætermittis tamen fere difficultatibus gravioribus, quas si illustrare vellent, ideis vulgaribus et ad populi captum accommodatis agebant; tandem contra hæreticos aperte loquebantur, nihil dissimulantes; ut veritatem, calumniis, erroribus et mendaciis impetitam, defenderent purgarentque penitus.

3. Ad moralis doctrinæ traditionem. Hujus siquidem magistri Matth. cap. ult. constituti, ad Christi exemplum et Apostoli in 2. ad Tim. 4. monitum, quovis tempore, ubique, et ad omnes documenta salutis proferebant.

4. Ad disciplinæ institutionem. Illius enim non testes tantum, sed et promotores, ac subin auctores erant : eandem vero tradebant nonnunquam speciatim, plerumque tamen cum morum præceptis commiscebant.

210. *Dico III.* PATRUM SANCTITAS secundum fidei integritatem, et ANTIQUITAS secundum ætatem diversa est et adnotari debet. Prior quidem in illis

Patribus dicitur 1. illibata; a quibus in fide error nunquam fuit assertus; aut postmodum saltem retractatus : 2. diminuta; qui errorem fidei necdum tamen in pace Ecclesiæ : 3. extincta; qui vel hæresin professi, vel in errore necdum damnato segreges ab Ecclesia abierunt, aut facti sunt. *Posterior* autem ex annorum diverso ordine dispescitur in tres ætates.

Earum 1^a. Patres trium priorum seculorum, 2^a. Patres seculorum trium priora immediate sequentium, 3^a. Patres, inter initium seculi septimi et finem duodecimi interceptos, complectitur. Hanc autem ætatem subsequenti secula, quantumvis Doctoribus Scholasticis, Oratoribus sacris et viris Apostolicis abundant, proferre tamen Ecclesiæ Patrem non amplius dicuntur.

211. *Observa.* Videbatur traditorum ordo hic exposcere, ut et nomina PATRUM et classem geminam Latinorum Græcorumque subjicerem; nisi brevis eorum catalogus præsentis capiti addendus ea sibi postularet. Qui tamen sive ex Patribus sive extra eorum chorum titulo DOCTORIS ECCLESIE gloriantur, referre eos nunc juvat, præsupposita ex dictis notitia, quod ad hujus tituli meritum ac privilegium, præter antiquitatem, memoratas nuper dotes omnes adesse oporteat. Ejusmodi autem Doctores publico Ecclesiæ suffragio declarati sunt, ex Græcis quidem SS. Basilius, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, et Joannes Chrysostomus; e Latinis autem SS. Gregorius Magnus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus. Præterea in Ecclesiæ precibus honorantur Doctoris nomine SS. Leo M., Petrus Chrysologus, Isidorus Hispalensis, Ildefonsus Toletanus, Anselmus Cantuariensis.

Tandem ex Decreto Pontificum, scilicet Pii V. Divus Thomas Aquinas, Sixti V. S. Bonaventura, Leonis XII. S. Petrus Damiani, Pii VIII. S. Bernardus, Pii IX. S. Hilarius dicti sunt Ecclesiæ Doctores.

ARTICULUS II.

An, et quænam sit auctoritas sanctorum Patrum ?

212. *Nota.* Universim duo doctrinæ genera in scriptis Patrum etiam genuinis occurrunt; aliud doctrinæ profanæ ex scientiis humanis aut rerum naturalium ac solo naturæ lumine cognoscibilem depromptæ; quæ obiter saltem et per decursum sæpius immixta reperitur : aliud doctrinæ sacræ superius a nobis quadripartitæ; quæ maximam lucubrationum partem occupat. In primo genere Patres pro more aliorum sapientum agunt ex propria eruditione; in altero autem pro ratione Doctorum Ecclesiæ ex divina institutione, de qua PAULUS 1. ad Cor. c. 12. mentionem fecit : utriusque materiæ et personæ ratio satis declarat priorem quidem a nostro hic instituto esse alienam, posteriorem non item. Nihilominus etiam in hac postrema duas species distinguere oportet, quarum alia, salva fidei morumque Christianorum integritate, inter orthodoxos controverti potest; alia autem ad fidei morumque dogmata pertinet : atque de hac ultima solum in præsens nobis est quæstio. In ea resolvenda Novatores ad extrema opposita divergentes aberrant a vero; *Lutherani et Calvinistæ* quidem auctoritati Patrum

tribuentes nihil, *Janseniani* autem auctoritati unius, præsertim S. AUGUSTINI, dantes nimium, adeo ut illam decretis Pontificum ab universa Ecclesia receptis præferant. Medii nos inter utrosque progressuri, dicemus primo generatim de Patrum auctoritate, ut priori quæstionis capiti satisfaciamus: deinde, facta Patrum in singulos, plures et omnes distributione, caput alterum distinctis responsionibus resolvemus.

213. *Dico I.* Concedenda est magna sanctis Patribus auctoritas. *Prob.* SS. PATRES sunt Seniores religionis; de quibus Eccli. 8. v. 11. dicitur: *Non te prætereant narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis: quoniam ab ipsis discas intellectum: sunt Doctores Ecclesiæ, juxta Apostolum nuper ad Corinth. laudatum v. 28. Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores: sunt Magistri orbis, Christo Matth. 5. dicente: Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ, et Augustino L. 1. de Serm. Dom. in monte c. 6. commentante: Per quos condiendi sunt quodammodo populi, quos elegit Deus, ut per eos errorem auferat cæterorum: sunt Custodes Apostolicarum doctrinarum, ut scribit Aug. L. 2. cont. Julian. c. 9. Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt: quod a Patribus acceperunt, hoc filii tradiderunt: sunt denique cœvi Testes Spiritus Ecclesiæ ejusque doctrinæ ac morum antiquorum; ut ex ætate illorum liquet, et traditionis successione. Ergo ob tot tantosque titulos debetur correspondens, adeoque magna auctoritas.*

Conf. Concilia in formandis decretis, Patres in firmandis aut vindicandis dogmatibus, Interpretes in exponendis scripturis, præcepto et exemplo auctoritatem Patrum sibi investigandam et sectandam docuerunt. De Concilio testantur tum Athan. in epist. ad Afros ita de Nicæni Concilii Patribus scribens: *Non sibimet ipsis voces, sed eas a Patribus contestatas accipiant, suisque inserant definitionibus: tum Concilia œcumenica pleraque, maxime autem Ephesinum, Chalcedonense et Nicænum II. usurpantia has formulas: Hæc est fides Patrum etc. In tali sensu sanctos Patres fuisse comperimus. Sequentes itaque SS. Patrum confessiones, et intentioni eorum æquis vestigiis insistentes, prostemur etc. Sequimur in omnibus SS. Patres et Doctores sanctæ Dei Ecclesiæ etc.* De ipsis PATRIBUS probant Aug. L. 22. de Civ. c. 10. inquit: *Credamus sanctis et vera dicentibus et mira facientibus, idemque contra Donatistas et Pelagianos agens: nec non Basilii ad Amphiloichium scribens, et Hieronymus Helvidium oppugnans; aliique passim dogmata tractantes. De INTERPRETIBUS declarat Cassiod. in præf. Div. instit. ita disserens: Ad divinam Scripturam ascendamus per expositiones probabiles Patrum, velut per quamdam scalam visionis Jacob; ut eorum sensibus proveci ad cognitionem Domini efficaciter pervenire mereamur.* Item Hieron. in epist. 103. negans scripturas sine Doctore legendas; in epist. 126. ad Evagrium autem scribens: *Revolvi mecum veterum libros, ut viderem, et ad singula de eorum consilio responderem.* Ergo.

214. *Dico II.* Singulorum Patrum auctoritas est inter se invicem inæqualis, nullius seorsim est irrefragabilis.

Prob. 1ª p. Quia, sicut stella differt a stella in claritate, ita et Patres differunt a se invicem, subinde in doctrina; dum alter alterum ingenio, erudi-

tionem, linguarum notitia, sermonis copia, styli efficacia superat: subinde in sanctitate; cum alterius integritas fidei permanserit illibata, alterius autem sit imminuta; hic retractanda nulla scripserit, ille errata retractarit, iste scriptorum nævos sola mortis confessione deleverit: subinde in Ecclesiæ testimonio; quod respectu aliquorum expressum disertumque habetur, respectu aliorum autem tacitum duntaxat est et facto comprobatum: subinde in certa dogmatis parte, ad quam scilicet illustrandam, occasione hæresum exortarum, a Deo destinati videntur; unde præ reliquis eminet auctoritas Athanasii et Hilarii circa divinitatem Verbi et cum Patre consubstantialitatem, Cyrilli Alex. circa unam in Christo personam, Basilii circa divinitatem Spiritus sancti, Augustini circa liberum arbitrium et gratiam divinam etc.

Prob. 2ª p. Nullus Ecclesiæ Pater seorsim sumptus possidet infallibilitatis donum, vel ut homo, quod per se patet, vel ut Ecclesiæ Doctor, quod etiam constat, quia nec illud habet ex se ipso, ut rursus liquet, nec accepit a Deo, cum hujus largitionis testimonium nullum exstet sive in Scriptura sive in Traditione: quin contra testetur Aug. L. 2. de Bapt. cont. Donat. c. 3. scribens: *Quis autem nesciat Scripturam canonicam omnibus posterioribus Episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit; Episcoporum autem litteras, post confirmatum Canonem scriptas vel scribendas, et per sermonem forte sapientiore cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum Episcoporum graviolem auctoritatem doctiorumque prudentiam, et per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est etc.*

Conf. 1º. Ex confessione ipsorum Patrum; inter quos Hieron. epist. ad Ctesiph. inquit: *Aliter habendi sunt Apostoli, aliter reliqui Tractatores: illos semper verum dicere, istos in quibusdam ut homines errare contingit.* Aug. epist. 19. ad Hier. scribit: *Solis iis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc deferre honorem, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam: alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate et doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi, quod a vero non abhorrent, persuadere potuerunt: de se autem ipso L. de don. persev. c. 21. addit: Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit.* 2º. Ex factorum historia; quæ docet plerosque Patres in errorem innoxium aliquando incidisse: qualis fuit millenariorum in Irenæo et Justino, anabaptismi in Cypriano et Basilio, Semipelagianismi in Augustino et aliis. 3º. Ex definitione ALEXANDRI VIII. damnantis hanc ordine 30^{am} propositionem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

215. *Dico III.* Patrum plurium, reclamantibus reliquis licet paucioribus, major equidem est auctoritas, necdum tamen irrefragabilis. *Pars 1ª* patet tum ex dictis num. 213, tum ex communi probabilitate in gradus distinguendi ratione. *Pars 2ª prob.* Quamvis ex una parte videatur pluralitas testimonium rem evincere; ex altera tamen parte integra remanet solida pauciorum auctoritas, nec comparativo solum oppositæ auctoritatis excessu eliditur, ubi intra limites opinionis sistitur; cum multi nonnunquam, imo et plurimi Patres, convenerint in aliqua sententia, quæ tamen ob refragantem unum

alterumve Patrem ad fidei dogma non pervenit: ut patet in consensu plerorumque de condito per successivas dierum moras universo, et de visione Dei mortalibus in vita negata, contra repugnantem Augustini vel paucorum aliorum dissensum, fidei certitudinem haud efficiente. Ubi tamen Ecclesiae definitio accesserit, aut sententiae singularitas solido fundamento caruerit, omnino deferendum est pluralitati excedenti.

216. *Dico IV.* Patrum unanimis consensus, sive omnium idem asserentium auctoritas est irrefragabilis. Dixi: *unanimis* consensus, seu *omnium* auctoritas; utriusque significatum, non in mathematico, sed in morali tantum sensu usurpando, atque extra concursum oppositae Patrum sententiae; quod Perronius in Responsione ad Regem Britanniae sic exponit: « Tunc unanimis Patrum consensus cumulate probatus aestimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertionem conveniunt: ita ut inter illos nemo, qui semper orthodoxus semperque orthodoxis adhæsit, dissensiat. »

Prob. Ad Ephes. 4. v. 11. hæc leguntur: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Atqui si unanimis Patrum consensus foret obnoxius errori, et omnium idem fidei dogma asserentium Patrum auctoritas esset refragabilis, Ecclesiae Doctores nec forent dati ad ædificandum corpus Christi, quod est Ecclesia: nec ad prohibendum, ne fideles circumferantur omni vento doctrinæ: imo ipsi Patres fluctuarent errarentque, atque fideles insuper, utpote ad Patrum doctrinam sequendam obligatos, circumvenirent et in errorem impellerent. Ergo.

Conf. I. Concilia et Patres unanimem consensum Patrum tanquam fidei regulam proponunt, et discussum ab eadem damnant. Nam Conc. Ephesium. Act. 1. ait: *Divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens sanctorum Patrum tenuerit antiquitas.* Nicænum II. Act. 1. Anathematismum septimum, a Basilio penitente pronuntiandum, his verbis describit: *Qui doctrinas sanctorum Patrum et Ecclesiae Catholicae traditionem contemnunt, quique causantur, et voces Arii, Nestorii, Eutycheis et Dioscori jactant dicentes, quod, nisi satis ex Vet. et Nov. Testamento instructi essemus, SS. Patrum et Ecclesiae Catholicae traditiones non sequeremur; anathema.* Conc. Lateran. sub Martino I. Consult. 5. definit, *condemnatum esse et alienum sanctae Dei Ecclesiae, quisquis non susceperit verbo et mente venerabiles Patres, cunctaque, quae ab illis pro fide orthodoxa cõposita sunt in destructionem omnium hæresum.* Tridentinum Sess. 4. in Decr. de Edit. et usu sacr. Librorum prohibet sub anathemate, *nequis Scripturam sacram contra unanimem sanctorum Patrum sensum interpretari audeat.* Eamdem regulam stabiliunt Irenæus L. 4. adv. hæc. c. 63, Clemens Alex. L. 7. Strom., Origen. Tr. in Matth. c. 29, Ambr. L. 3. de Fide, Hieron. in Daniel. 12, Augustin. L. de Utilit. credendi c. 17, Gregor. L. 28. Mor. c. 9. etc. neglectam vero ab hæreticis exprobrant Euseb. L. 7. hist. c. 26,

Vincentius Lirin. in Commonit. 1. c. 4. et aliis, Aug. L. 1. cont. Julian., Fulbertus in epist. ad Adeodatum, cum aliis.

Conf. II. Nisi unanimis Patrum consensus infallibilis sit, 1. nec sensus Ecclesiae erit ab errore liber, utpote qui ex Patrum institutione et populi credulitate illi correspondente conflatur: 2. nec stabit Traditionis auctoritas; siquidem hæc aliunde, quam ex sanctorum Patrum testimoniis, apertius hauriri nequit: 3. nec Scripturæ interpretatio satisfaciet ulla; cum revelatio veræ intelligentiæ nova expectari nequeat; per ingenii humani industriam producta nihil divinum habeat; traditio Patrum autem rejiciatur: 4. nec credibile est, tot tantosque viros, tempore, loco, ingenio, et conditione tam diversos in unam eandemque circa dogma aliquod sententiam conspirare potuisse, nisi Spiritu sancto auctore.

217. *Observe.* Asserta vindicare pluribus haud est opus. Nam et apud Protestantibus verecundiores cœpit jam haberi reverentia Patribus, maxime priorum quatuor seculorum; ut plures eorum scriptores tum verbis disertis tum adhibitis Patrum testimoniis prodiderunt: quæ vero exaggeratius de unius, præcipue S. AUGUSTINI, auctoritate dici poterant, tum alibi tum in Tract. de Deo potissimum exhaurientur. Porro nihil singulare aut a communi omnium opinione alienum habet, quod circa concursum inæqualis Patrum auctoritatis fuit propositum. Demum quæ contra unanimis consensus auctoritatem et pondus proferri solent, vel communia sunt cum iis; quæ contra Ecclesiae universitatem et Conciliorum collectionem objecta dissolvimus, vel ex usurpata sub variis acceptionibus Patrum distinctione jam dissipata sunt, aut dilui facile possunt.

ARTICULUS III.

Quenam sint Cautelæ et Regulæ pro intelligentia, quinam Canones pro usu Theologico SS. Patrum?

218. *Nota.* Præter auctoritatem Patrum, quæ sedem argumentationi Theologicæ præbet, ad alia attendere oportet eum, qui sine abusu, et solido cum fructu, legere sanctorum Patrum opera, lecta intelligere et intellecta usurpare desiderat. Ad tria universim capita reducere eadem juvat, scripta scilicet, scribentes, et scriptionem: circa quæ postquam cautelas pro lectione et regulas pro intelligentia dederimus, canones circa usum eorundem addemus.

219. *Dico I.* Cautelæ pro lectione Patrum sunt sequentes:

I. Circa scripta. 1. Discerne inter libros vere aut falso Patribus adscriptos; item inter certo genuinos et dubios aut incertos. 2. Adverte an originarium sit scriptum, an versio tantum; et quo auctore facta? 3. Disquire de textu laudato, integerne sit, an corruptus, mutilus vel a contextu divulsus.

II. Circa scribentes. 1. Attende an Patrum quis juvenis adhuc aut vero senex, an catechumenus etiamnum vel fidei mysteriis plene imbutus, an lapsus in errorem aut ante lapsum, an animo pacato et extra offensam aut subratu et contentiosus scripserit; cujusmodi diversitatem in Augustino, Lactantio,